

MARIUS,

AVENTICENSIS EPISCOPUS.

(Galland. Biblioth. tom. XII.)

NOTITIA.

I. In Ædvis nobili genere ortus est Marius, stante A adhuc Burgundiæ regno, circa annum Christi 532, ut produnt Cointius (a) ac Historiæ literariæ Gallicæ scriptores eruditi (b), Chiffletium assectati (c). Anno autem circiter 576, ut postmodum ex dicendis comperit, dum ætatis annum ageret quadragesimum quartum, evehctus est ad ecclesiam Aventicensensem regendam in Helvetiorum tractu sitam: quam quidem sedem episcopalem diu tenuit, donec sub finem sæculi hujus VI, Childeberti Francorum regis permissu, eam Aventico Lausannam transtulit, ut ex Claudio Roberto tradit laudatus Cointius (d). Childebertus enim Burgundiæ regnum in quo Aventicus et Lausanna censebantur, post obitum Guntchramni patrui obtinuit ab anno duntaxat 595, ad annum 596. Verum, si Adrianum Valesium audiamus (e), tertio B quidem anno in Burgundia exacto supremum diem obiit Childebertus anno 595, qui nimirum anno 592 regnum Burgundicum hæreditario jure adquisierat. Sed ut ad Marium revertamur, inter subscriptiones episcoporum qui concilio Matisconensi II interfuere, anno Guntchramni regis 25, æræ Dionysianæ 585 celebrato, adfuisse comperitur *Marius episcopus ecclesie Aventicæ* (f): unde liquet sedem Aventicensem nondum eo anno Lausannam fuisse translata; adcoque serius post novem aut decem circiter annos, sub Childeberto scilicet, id contigisse, ut modo inuimus. Porro ex antiquis Lausannensium tabulis perhibet Chiffletius (g) Marium in episcopatu egisse annos XX, ac menses VII; vixisse autem omnino annos LXIV, obiisse vero pridie Kalendas Januarias, anno videlicet 596. Qua quidem die Sanctorum ordinibus ascriptus traditur, quippe qui morum integritate ac pietate insigni claruerit. Miror equidem Saussayum C ejus mentionem prætermisisse in suo Martyrologio Gallicano: quod tamen præstitit eruditissimus Cædicius Castellanus (h). Cæterum beati Marii corpus Lausannæ sepultum est in æda sancti Thyrsi, qui postea sancti Marii nomen accepit. Hæc paucis contrahunt Adrianus Valesius (i) et Cointius (j). Latus refert Basnagius (k); qui verbo tenus Chiffletium exscribens, suppresso tamen ejus nomine, bifaria errat, asserens interfuisse Marium concilio Matisconensi IV, ejusque Chronicon ab anno 465 initium ducere.

II. Episcopi hujus Aventicensis unum Chronicon superest, strictim contextum a tempore quo Prosper desierat. Incipit autem ab anno Christi 455, qui *levatus est Avitus imperator in Gallias*, usque ad annum 581, quo *Mummolus patricius fuga se Avinionem recepit, anno 2 consulatus Tiberii Constantii Augusti, indictione 14*. Quod itidem narrat ejusdem ævi scriptor Gregorius Turonensis (l); cujus propterea historiam chronologicis notis satis destitutam, eoque obscuriorem, si quis cum hujusmodi Marii opusculo diligenter contulerit, ex eo enimvero eidem Historiæ Gregorianæ magnam lucem accedere plane intelliget: quæ est sententia sæpius laudati Chiffletii, cui concinit et Cointius (m). Verum de hujusce Chronici pretio ipsum clarissimum editorem disserentem audire præstat: « Desideratus est hæcenus, inquit, antiquus scriptor, qui occidenti Romano veteri imperio funus duceret, qui barbarorum illa tempora, provincias Romani juris armis arbitris inter se dividendum illustraret; qui Francorum, Burgundionum, Gothorumque regum veterum exordia, res gestas, obitusque optimis temporum characteribus consignaret. Et nescio quid libaverat auctor

(a) Coint., Annal. eccl. Francor., ad ann. 581, § 1, tom. II, pag. 220.

(b) Hist. littér. de la Franc., tom. III, p. 400.

(c) Chifflet., præfat. ad Marii Chron., inter Hist. Francor. scriptor., Duchên., tom. I, p. 210.

(d) Coint., loc. cit.

(e) Vales., Rer. Franc. lib. XVI, tom. II, pagg. 464-477.

(f) Conc. tom. VI, p. 680, edit. 4 Ven. Labb.

(g) Chifflet., loc. cit.

(h) M. Chatelain, Martyrol. univers. pag. 665.

(i) Vales., loc. cit., lib. XIII, pag. 274.

(j) Coint., loc. cit.

(k) Basnag., Annal. Polit. eccl., ad ann. 581, § 10, tom. III, pag. 874.

(l) Greg. Turon., Hist. Franc. lib. VI, cap. 1.

(m) Coint., loc. cit., p. 219.

appendicis ad Marcellinum comitem : sed is huc A usque ita deformatus in publicum prodiit, ut cum trium duntaxat Franciæ regum exitus perstrinxerit, Childeberti quidem senioris obitum anno uno; Chramni vero cædem, tum etiam Theodebaldi interitum, biennio antevertat. Plura id genus et diligentius in hoc opusculo adnotata leges. Thesaurum hunc ad hanc usque diem defossum, ac ne quæsitum quidem, forte membranæ vetustissimæ mihi objecerunt, inscriptum Mario episcopo. Quam ut in persequendis Burgundionum rebus accuratiorem vidi, ac nominatim in Vallensis agri ad lacum Lemannum, finitimorumque Agaunensium describendis casibus, expensis rerum omnium, nominis, conditionis, locorum temporumque adjunctis, non dubitavi, quin is ipse esset Marius Aventicensis seu Lausannensis episcopus. » Hactenus vir eruditus.

III. De eodem Chronico verba facientes Historiæ litterariæ Gallicæ auctores, primo advertunt (a) in eo plura scitu digna occurrere, quæ alibi frustra quærantur; deinde illius scriptorem in mundi annis supputandis eam inlisse rationem, cui pressius deinceps inhæsit Gregorius Turonensis: illudque præterea observant, Marium in eam descendisse sententiam, ut existimarit a principio mundi usque ad annum primum consulatus Justinii junioris Augusti, indict. 15, id est, usque ad annum 567 annos excurrisse vmdccclxviii. His autem aliisque animadversis, admonent in errorem aliquando fuisse lapsum auctorem.

IV. Præsulis nostri Aventicensis Chronico subji- C tor appendix, de qua hæc Chiffletius: « Quod spectat ad Marii appendicem quam ex iisdem antiquis membranis excerptissimus, contractor illa quidem est quam optandum esset, nec certum auctoris nomen præfert. Suum tamen pretium habebit apud erudi-

(a) *Hist. littér. de la Franc.*, loc. cit. pag. 401.

(b) Ruinart., in append. ad Gregor. Turon., pag. 1351.

(c) Fredeg., Chron. cap. 42, p. 523, edit. Gre-

gor. Turon. B tos, vel ob res ex quibus constat, vel propter auctoris antiquitatem; qui videlicet Heraclii imperatoris anno 14, Clotarii porro secundi Francorum regis anno 40, hoc est anno Christi 623 aut 624 eam se conscripsisse significat. » Ex hac sane appendice dignum censuit quod exscriberet clarissimus Ruinartius excerptum de morte Bruinchildis reginæ (b), ad illustrandum nimirum Fredegarii Scholastici Chronicon ubi ea de re mentio (c), Historiæ Francorum Gregorii Turonensis subjectum. Notanda vero in primis annorum summa quam ab exordio mundi ad suam usque ætatem contractam ad finem suse appendicis exhibet hic anonymus auctor, conferendam cum superiore quam ex Mario Aventicensi descripsimus. Sic enim ille: *Fiunt igitur, inquit, ab exordio mundi usque in Heram præsentem, id est, Heraclii 14, et Chlothacarii regis annum 40, anni vmdcccxxii.*

V. Erit fortasse cur quispiam miretur prætermis- sum a Gerardo Joanne Vossio, cætera solertissimo, nostrum chronographum, haud certe imparum, quomodo mihi persuadeo, Prospero, Idacio, Marcellino comiti, Victori Tununensi, Joanni Biclariensi aliisque, de quibus ille verba facit in libris de Historicis Latinis. Neque vero hujusmodi chasma eo in opere complendum curavit Sandius in suis Supplementis Vossianis: quod tamen, paucis licet, præstitit Hallervordius (d). Miræum præterea Cavcumque atque Oudinum, qui de nostro scriptore nihil novi, præter ea quæ ex Chiffletio exscripsere, in medium afferunt. Ad editionem nostram quod attinet, eam diligenter exegimus ad unam Petri Francisci Chiffletii, qui Marii Chronicon ex pervetusto Codice ms. primus in lucem edidit inter Historiæ Francorum scriptores coætaneos, opera et studio Andreae du Chêne anno 1636 Lutetiæ Parisiorum evulgatos.

gor. Turon.

(d) Hallerv., Spicil. de Hist. Latin., pag. 759, edit. Fabric.

MARI

AVENTICENSIS EPISCOPI

CHRONICON.

Usque hic Prosper: quæ sequuntur Marius episcopus. D

Consule supra scripto levatus est Avitus imperator in Gallias: et ingressus est Theodoricus rex Gothorum Arelato cum fratribus suis in pace.

JOANNE ET VARANA.

His consulibus dejectus est Avitus imperator a Majoriano et Ricimere Placentia, et factus est episcopus in civitate.

Eo anno Burgundiones partem Galliæ occupaverunt, terrasque cum Gallis senatoribus diviserunt.

CONSTANTINO ET RUFO,
MAJORIANO ET LEONE,
RICIMERE ET PATRICIO,
MAGNO ET APOLLONARE [Ex fastis APOLLONARIO].

His consulibus Majorianus imperator profectus est ad Hispanias.

Eo anno captæ sunt naves a Vandalis ad Elecem; juxta Carthagine Spartaria.

SEVERINO ET DAGALAIFO.